

57. JESUS AUTEM DIXIT EIS: NON EST PROPRIETA (doctor, prædicator) SINE HONORE, NISI IN PATRIA SUA, ET IN DOMO SUA. — « Sine honore, » Græcè, *ἄτιμος*; id est *inhonoratus*, vel *inhonorabilis*, ut vertit Hilarius. Syrus, *ἄτις* vel *despectus*; Arabicus, *habetur vilipendio*; Vatablus, *contemptus*; alii, *expers honoris*. « Et in domo sua, » id est in familia et cognatione « sua; » quia « nec fratres, » id est cognati et affines, « credebant in eum, » *Joan. vii. 5*. Est hoc proverbium vulgo usitatum et communiter verum, at non semper; Joannes enim Baptista, æque ac Isaias, Elias, Elisæus, Daniel, Osee, etc., apud suos Judæos in magno fuere honore.

Porro, causa cur propheta, id est doctor, sæpe apud suos non honoretur, sed vilipendatur, prima est, quam dat S. Hieronymus: « Quod propemodum, ait, naturale sit civis semper civibus invidere: non enim considerant presentia viri opera; sed fragilis recordantur infantie, quasi non et ipsi per eodem ætatem gradus ad maturam ætatem venerint. » Rursus civis non ferunt civem sibi preferri, præsertim juniorem seniori, pauperem diviti, plebeium senatori: « Quia suam confusionem existimant gloriam contribulis, » ait Theophylactus in *Joannem*. Audi S. Ambrosium in cap. iv *Lucæ*: « Non mediocris invidia proditur, que civem charitatis oblita in acerba odia causas amaris inflectit. Simul hoc exemplo pariter et oraculo declaratur, quod frustra opem misericordie cœlestis exspectes, si aliena fructibus virtutis invidetas. Aspernator enim dominus invidiorum est, et ab iis, qui divina beneficia in aliis persequuntur, miracula suæ potestatis avertit. »

Secunda, quia nimia familiaritas parit contemptum, ait S. Chrysostomus, *hom. 34*. Et S. Cyrillus: « Quia solemus, ait, quod tritum est ac quotidianum, etiam magnum sit, parvi pendere, » etc. Theophylactus etiam: « Consuevimus, ait, ea contemnere, que valde familiaria sunt, semper magis attententes alienis et insolitis, » etc., juxta illud *Alex.*, apud Athenæum, lib. iii: « Alienum amamus, proximum contemnimus. » Miramur enim peregrina et exotica, aspernamur domestica et familiaria, cum subinde domi habeamus meliora. Sic medicos nostros fastidimus, licet eruditos, peregrinos et barbaros suspicemus; flores et herbas ex India advectos care emimus, cum meliores, imo fidem subinde laetibus nostris nascantur: nimirum, « grata est acivitas. »

Tertia, quod ex quotidiana conversatione cum hominibus facile vitia morum, vel infirmitates nature cujusque detegantur, que reverentiam minuunt et vilipendium parunt; secus est in conversatione cum Deo, que quo major est, eo majorem Dei reverentiam gignit: quia « quanto magis homo in cognitione Dei proficit, tanto magis perfectionis ejus « excellentiam admirat » et magis eum reveretur, » ait D. Thomas hic. Sic Nazarethani, videntes Christum comedere, bibere, dormire, fabricare, more aliorum, eum contempserunt, præsertim quia videbant ejus cognatos esse pauperes et abjectos, ac præsertim S. Josephum, quem putabant verum esse ejus patrem; nec enim cogitare aut credere poterant eum natum ex virgine, solumque Deum habere patrem. Doctor ergo et prædicator familiaritatem hominum fugiat, ne spernatur; nam, ut ait S. Cyrillus, « predicatio ibi fructum facere non potest, ubi prædicator contemnitur. » Romæ quidam e nostris, vir sapiens, concionatori cuidam Transalpino ad suos redeunte hoc monitum dedit: « Domi te contine, abstractus vive, cum Deo versare, non cum hominibus, ita ut Dei oraculum audieris. » Et videmus eos qui id faciunt, ob opinionem sanctitatis ab omnibus colari, amari, audiri.

58. ET NON FECIT IBI VIRTUTES (miracula) MULTAS PROPTER INCREdulitatem eorum. — Arabicus, *propter parvitatem fidei eorum*. Hæc enim faciebat eos indignos miraculis, utpote quæ Christus non nisi ad fidem sibi conciliandam et augendam patrare solebat. Aliam causam dat S. Hieronymus: « Ne multas, ait, faciens virtutes, cives incredulos condemnaret, » « itaque penam eis auget, » ait S. Chrysostomus. Gravius enim peccat, qui plura miracula videt, et tamen non credit, quam qui pauca, ideoque gravius damnatur et punitur in gehenna. Hæc de causa Christus « pauca signa fecit apud Judæos, » ait S. Hieronymus; majora signa quotidie in Gentibus per Apostolos facit, non tam in sanatione corporum, quam in animarum salute. » Jansenius cum suis post hoc caput ponit missionem Apostolorum factam a Christo, quam Mattheus narravit cap. x; deinde decollationem Joannis Baptistæ, quam narrat Mattheus, cap. xiv proxime sequenti, ac reversionem Apostolorum ad Christum, Christique recessum in desertum, secutus Lucam et Marcum, qui hunc ordinem inservant, licet aliter sentiant Maldonatus et alii. Vide Chronotaxin.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, decollatur ab Herode S. Joannes Baptista. Secundo, vers. 13, Christus il audiens, fugiens Herodem, secedit in desertum, ibique quinque panibus et duobus piscibus pascit quinque hominum millia. Tertio, vers. 23 dimissa turba, ascendit in montem, ut oraret; mox ambulans super mare, venit ad discipulos fluctibus tactatos; Petrumque ad se evocatum et vententem, cum ipse fluctus metuens mergeretur, erigit, dicens: « Modicæ fidei, quare dubitasti? » illicoque ventum fluctusque sedat. Unde exclamant, qui erant in navi: « Vere Filius Dei es: » quare ex locis circumquaque vicinis ad eum conflant agri, quos ipse tactu suo sanat.

1. In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu, 2. et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo. 3. Herodes enim tenuit Joannem, et alligavit eum, et posuit in carcerem propter Herodiam, uxorem fratris sui. 4. Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam. 5. Et volens illum occidere, timuit populum, quia sicut Prophetam eum habebant. 6. Die autem natalis Herodis, saltavit filia Herodiadis in medio, et placuit Herodi. 7. Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo. 8. At illa præmonita a matre sua: Da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptistæ. 9. Et contristatus est Rex; propter juramentum autem, et eos qui pariter recumbebant, jussit dari. 10. Misitque et decollavit Joannem in carcere. 11. Et allatum est caput ejus in disco, et datum est puellæ, et attulit matri suæ. 12. Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud; et venientes nuntiaverunt Jesu. 13. Quod cum audisset Jesus, secessit inde in naviculam, in locum desertum seorsum; et cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus. 14. Et exiens, vidit turbam multam, et misertus est eis, et curavit languidos eorum. 15. Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, et hora jam præterit: dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas. 16. Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire; date illis vos manducare. 17. Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes et duos pisces. 18. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc. 19. Et cum jussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus et duobus piscibus, aspiciens in cœlum benedixit, et fregit, et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis. 20. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. 21. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis. 22. Et statim compulsi sunt discipulos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. 23. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi. 24. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus; erat enim contrarius ventus. 25. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos, ambulans super mare. 26. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt. 27. Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere. 28. Respondens autem Petrus, dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. 29. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum. 30. Videns vero ventum validum, timuit; et cum cœpisset mergi, clamavit, dicens: Domine, salvum me fac. 31. Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum, et ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? 32. Et cum ascendissent in naviculam, cessavit veritus.

33. Qui autem in navicula erant, venerunt, et adoraverunt eum, dicentes: Vere Filius Dei es. 34. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar. 35. Et cum cognovissent eum viri loci illius...

1. IN ILLO TEMPORE AUDIUIT HERODES TETRARCHA FAMAM JESU. — Hec omnia que spectant decollationem S. Joannis, fusius et plenius præ omnibus Evangelistis narrat S. Marcus, vi, 14, quare ibi commodius illa explicabo. Herodes hic fuit Antipater, filius Herodis Magni infantidæ, Matth. ii, 16.

12. ET ACCEDENTES DISCIPULI EJUS, TULERUNT CORPUS EJUS, ET SEPELIERUNT ILLUD. — « Corpus; » Syrus, selado, id est truncum corporis sine capite, quia, ut ait Nicephorus, lib. 1, cap. XIX: « Herodias Joannis reprehensionem etiam post capitis resectionem verita, conjungereque id reliquo corporis timens, apud se remotis arbitris in abstrusiora regie loco sepelendum duxit; » idem asserit Beda, Rufinus, lib. XI Histor., cap. XXVIII, et Histor. Tripart., lib. IX, cap. XLIII. Vide hic panicos timores male conscientia: Herodias enim verebatur, si caput Joannis corpori jungeretur, quod resurgeret, rursusque animaretur et contra incestas suas cum Herode nuptias predicando detonaret; sicut Herodes putabat Joannem resurrexisse in Christo in eumque transisse. Adeo caput illud inivitum Baptistæ, licet resectum, Herodiadi terrori fuit et horrori.

ET VENIENTES, NUNTIAVERUNT JESU. — Joannes enim ante mortem jussisset discipulis, ut, se mortuo, transirent ad Jesum, imo jam adhuc Joanne vivo nonnulli ad Jesum transferant, ut patet de Andrea, Joan. 1, 40; adeoque ipse Joannes discipulos suos ad Jesum miserat seiscitatum, an ipse esset Messias? Matth. xi, 3.

13. QUOD CUM ADUISSET JESUS, SECESSIT INDE IN NAVICULA, IN LOCUM DESERTUM SEORSUM. — « Quod cum audisset Jesus, » scilicet Joannem ab Herode decollatum, ac Herodem, qui lucusque partim desidia, partim bello contra Aretam, regem Arabiæ (hic enim filium suam, teste Josepho, lib. XVIII Antiq., cap. 1, Herodi deponerat, ideoque ejus repudium ab Herodiadem factum, bello, quo Herodis exercitum cecidit, vindicavit), occupatus, neglexerat dicta factaque Jesu: Herodem, inquam, jam fama tot tantorumque miraculorum Jesu increbrescente de his inaudisse, serioque ad ea animadvertere cepisse, ut narravit Matthæus initio hujus capituli et historiam, indeque suspicari Jesum esse Joannem resuscitatum; ideoque Jesus secessit in desertum, idque primo, ut Herodis furororem declinaret, qui sicut Joannem decollaverat, ita jam putans eum resuscitatum in Jesu, eundem rursus decollasset, presertim cum facile ei obrepisset, vel suggesta fuisset a Phariseis suspicio,

Eni post mortem Baptistæ in desertum secessit Christiano Præmo.

ipsam vel esse, vel venditare se Messiam regem Judæis promissum et per tot sæcula expectatum: quare metuens ab eo regno privari, eum peremisset, uti pater ipsius Herodes Ascalonita Christum cum infantibus in Bethlehem occidere saegerat, Matth. ii, 16. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Secundo, ut Apostolos a sua missione et predicatione redeuntés, ac multo labore fessos quiete aliqua recrearet, uti docet Marcus, vi, 31. Tertio, ut exemplo suo doceret predicatoribus et thaumaturgis fugiendum esse plausum populi et vanam gloriam.

IN NAVICULA. — ut per eam proficisceretur trans mare alliaæ sive Tiberiadis, ut patet Joannis vi, 1; Marci v, 43. Eadem enim est hæc historia cum illa quam fus narrat Joannes, cap. vi, ex quo liquet, hæc circa ascha contigisse. Volebat ergo Christus navicula ethgere turbarum ad se confluxum, qui ipsi carceri et vitæ periculum apud Herodem creasset.

IN LOCUM DESERTUM. — Addit Lucas, cap. ix, 10, « qui erat Bethsaidæ. » Adrichomius, in Descript. Terræ sanctæ; Jansenius et alii nonnulli censent hoc desertum, in quo Christus quinque panibus pavit quinque millia hominum, dici Bethsaidæ, non quod fuerit juxta Bethsaidam ad latus et litus urbis, sed in opposito littore, trans mare Galilææ, situm inter Juliadem et Dalmanutha. Probant, quia Joannes, vi, 1, ait Christum abisse trans mare Galilææ, ac Matthæus, xiv, 34, eum transfretasse. Bethsaidæ enim ditto extendebat se ultra mare in desertum hoc transmarinum. Ita ipsi.

Verum dico hoc desertum fuisse juxta Bethsaidam in eadem ripa, adeoque fuisse inter Bethsaidam et Tiberiadem.

Probatur primo, quia id diserit ait Lucas, cap. ix, 10: « Secessit, ait, seorsum in locum desertum prope civitatem que vocatur Saidæ decurate, id est Bethsaidæ. »

Secundo, id ipsum clare testatur Burchardus et alii in Descriptione Terræ sanctæ, scilicet locum hunc fuisse vicinum Tiberiadi, dictumque Mensa.

Tertio, quia Nicephorus, lib. VIII, cap. III, scribit S. Helenam, Constantini Magni matrem, Tiberiade dædæcathipno, id est duodecim thronorum, templum exarisse eo loco quo Christus quinque hominum millia pavit.

Quarto, quia Christus, facta hæc panum in deserto multiplicatione, fugiens turbam que eum volebat creare regem, jussit discipulos navigare Bethsaidam, tanquam vicinam. Rursum Joannes,

Templum dæcathipno dicitur thronorum a S. Helena constructum.

vi, 20, ait: « Alie supervenerunt naves a Tiberiade, juxta locum ubi manducaverant panem, gratias agente Domino: » ergo locus hic erat juxta Tiberiadem, puta inter Tiberiadem et Bethsaidam; cumque eum ibi non invenirent, recto itinere, per mare navigarunt, ubi eum invenirent, uti subdit Joannes.

Ad argumentum respondeo; Christum dici transfretasse et abisse trans mare, id est mare navim transmisisse, sive ivisse per mare, non in adversum litus, sed ex una terra, per mare in medium, in aliam, ex uno sinu anfractus, in alium; nam per terram flexuosum erat iter, quare recto itinere eo pergentibus transeundum erat mare, non in adversum litus, sed in adversum sinum flexum. Ita Franciscus Lucas, Maldonatus et alii. Vide dicta Matth. iv, 18. Sinum hunc videtur fecisse mons in quem secessit Jesus, ac deinde ex eo ad turbas cum sequentes descendit, uti narrat Joannes, cap. vi et seq. Denique transidem est quod ultra, et ample sumitur diciturque cum de uno loco in alium, de uno maris sinu vel portu in alium transitionem facimus.

ET CUM ADUISSET TURBAM, SECEIT EUM PEDESTRES DE CIVITATIBUS. — Quæres, quomodo pedestres poterant sequi Christum navi euntem trans mare? Respondeo: Turbas secedente Christo in naviculam, ejus famam passim per vicina loca sparsisse: qua exiit, multi undequaque confluerunt, Christumque navi recta trans mare euntem pedibus insecuti sunt, circumeundo mare Tiberiadis, sive stagnum Genesareth usque ad Bethsaidam, et inde usque ad Capharnaum, ubi Christum invenerunt, uti narrat Joannes, vi, 24 et 25.

Tante enim turbæ, licet longior, commodior tamen erat hic pedestris circuitus, eo quod naves ad tantam turbam vehendam deessent. Seccessus Christi desiderium turbarum non retudit, sed acuit ad eum per in via et avia sequendum; quia videbant eum virum sanctum, beneficium, divinum, fugientem plausum, cum Deo conversantem. Ita honor sequitur fugientes, sicut umbra sequitur corpus: sic et secedant predicatorés, et vacent orationi, ita plus eos colet et requirit mundus.

14. ET VENIENS (EX SECRETO DESERTI BETHSAIDÆ, IN QUOD SECESSERAT) VIDIT TURBAM MULTAM, ET MISERIT EST EIS (S QUIA ERANT SICUT EUM NON HABENTES PASTOREM, » ait Marcus, vi, 34. Scribæ enim non erant pastores, sed mercenarii, quærentes sua lucra, non vitam salutem), ET CURAVIT LANGUIDOS (GRÆCÆ ἄρρωστοί, id est infirmos, egrotos) FORAM, — inter eos, qui scilicet se Christo offerabant, vel ab aliis offerabantur, postulantes sanitatem. Disce hic a Christo aliorum curam et commoda præferre tue quieti et orationi.

15. VESPERE AUTEM FACTO, ACCESSERUNT AD EUM DISCIPULI, DICENTES: DESERTUS EST LOCUS, ET HORA PRÆCIPUA (PRÆCIPUA, TEMPS EBI SUMENDI) JAM PRÆTERIIT: DIMITTE TURBAS, UT ENTES IN CASTELLA (GRÆCÆ,

Luc. ix, 12; Mar. vi, 35, 36.

ἄστυα, id est in vicis, in villas), EMANT SIBI ESCAS, — ut suo fami succurrant: mare enim jejuni domo egressi, ut a docerentur et curarentur, usque ad vesperam jejuni permanerunt.

16. JESUS AUTEM DIXIT EIS: NON HABENT NERESE IRE (GRÆCÆ ἀνάγειν, id est abire in villas ut emant escas), DATE ILLIS VOS MANDUCARE. — Sternit Christus viam ad miraculum multiplicationis panum, ideoque turbas detinuit usque in vesperam, ut discipuli dimissionem illarum pelerent, quibus ipse jubet dare illis cibum: ut eo testatus sit miraculum, eoque Christi beneficium gratius accideret, quo magis videtur in deserto alendam destitit. Addit S. Joannes, cap. vi, quod Jesus « dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat, tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficient eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. »

Philippum præ aliis rogavit Christus, quia Philippus præ cæteris doctus erat et cambius, sed non ita acutus et subtilis, ideoque multa alias manifesta rogare solitus, uti, Joan. vi, 8, rogavit Christum, dicens: « Domine, ubi habes nobis Patrem, et sufficit nobis. » Ita S. Chrysostomus, Theophylactus et S. Cyrillus, in cap. vi Joannis. Porro, denarius idem est quod julius Romanus, vel regalís Hispanicus, qui ponderat drachmam argenti: quare ducenti denarii faciunt quinquaginta florenos Brabanticos, sive viginti aureos Romanos. Denarius enim dictus est quod decem asses contineret. As erat baiochos Romanus, sive medius stuferus. Vide ea quæ de prisicis monetis et ponderibus annotavi in fine Pentateuchi. Vingtinti aureis multi panes emi poterant. Nam Romæ jam unus panis albus octo, et subinde decem unciarum, emitur uno baiocho, qui fere uni sufficit ad unam refectionem: quare uno julio sive denario, qui continet decem baiochos, poterant emi tales decem panes, et consequenter ducentis denariis empta fuissent duo millia panum, que fere sufficerebant ad duo millia hominum reficienda; hic autem erant quinque hominum millia, præter mulieres et parvulos, quorum tria millia omni pane caruissent. Adde multos in fame et jejunió esse edaces, ut eis unus panis non sufficere, sed duræ et subinde tres requirant. Vere ergo dixit Philippus, ducentorum denariorum panes non sufficere ad tantam turbam alendam.

17. RESPONDERUNT EI: NON HABERES NIC NISI QUINQUE PANES ET DUOS PISCES — PISCES HI JAM COCTI ERANT ET PARATI IN CIBUM: statim enim ab Apostolis distributi fuerunt, jubente Christo, sine alia coctione. Explicat id Joannes, vi, 8, dicitque, « Dicit ei unus ex discipulis, Andreas frater Simonis Petri: Est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces; sed hæc quid

Denarius erat id quod regalis.

sunt inter tantos? Panes hos Apostolorum fuisse censet S. Chrysostomus; melius Euthymius putat fuisse venales.

18. QUI AUT: AFFERTE MIHI ILLOS HUC, — ut illos benediciendo multiplicem. Parere Apostoli, et attulere illos, atque hanc prompta eorum obedientia et fiducia, eque ac charitas et studium succurrendi fami tot millium hominum, elicuit hoc a Christo miraculum.

19. ET CUM JUSSISSET TURBAM DISCUBERE SUPER FOENUM (Arabicus, ut sederet super herbam), ACCEPTIS QUINQUE PANIBUS ET DUOBUS PISCIBUS, ASPICIENS IN COELUM BENEDIKIT, ET FREGIT, ET DEDIT DISCIPULIS PANES, DISCIPULI AUTEM TURBIS. — Prius membrum plenius enarrat S. Marcus, vi, 39, dicens: « Et præcepit illis ut accubere facerent omnes secundum contubernia super viride fenum. » Contubernia hæc erant diversi hominum cœtus, in unum collecti ad prandendum. Unde Lucas, ix, 14, ea vocat convivia, id est conviviarum cœtus, in quibus honestatis causa viri cum viris, ac mulieres seorsim cum suis parvulis discumbebant, ut innuit hic Mattheus: olim enim non assidebant mensæ in seorsim, sed discumbebant, id est jacebant in lectulis mensalibus qui juxta mensam sternerant, unde lectisternia dicta, quorum loco hic erat fenum. Jussit vero Christus per contubernia eos discubere, tum ut magis appareret discumbentium multitudinem, tum ut ordinate omnia fierent, tum ut nemo præteriret, qui non suam panis et piscis partem acciperet.

ASPICIENS IN COELUM BENEDIKIT. — S. Joannes, vi, 11, sic habet: « Accepit ergo Jesus panes, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus. » Unde hæretici ad benedixit exponunt per gratias egit, sed perperam; Christus enim more suo prius gratias egit Patri, deinde panes benedixit: Marcus enim, vi, 41, ait: « Intuens in coelum benedixit, et fregit panes. » Et Lucas, ix, 36: « Respexit in coelum, et benedixit illis, » scilicet panibus, et fregit, et distribuit. Christus ergo hic « benedixit, » tum Deum, illum laudando et gratias agendo, ut habet Joannes, cap. vi, quia prima debet esse orationis pars, ut Dei laude nobis benevolentiam conciliemus, ad impetrandum id quod deinde sumus postulaturi; tum ipsos panes « benedixit, » hoc est divinam gratiam eis imprecatum est, per quam multiplicarentur, et vim roburque conciperent ad tantam turbam copiose validerque alendam, roborandam et exhilarandam, perinde ac si opparo caritum et vinorum epulo pasti fuissent. Christus ergo hac benedictione virtutem aliquam, non physicam, sed moralem panibus indidit, scilicet deputationem suam et ordinationem ad miraculosam multiplicationem, per quam manum, id est virtutem suam divinam, quasi panibus apposuit, ut illico reipsa multiplicarentur, nimirum aerem vicinum, vel aliam materiam sensim inter distribuendum, sed insensibiliter et continue in panes conver-

tendo: Deus enim nihil de novo creat ex nihilo, sed ex materia initio mundi creata omnia producit et transformat. Simili modo multiplicavit farinam et oleum viduæ Sareptanae, ob merita Elisæ, IV Reg. xvii, 14; et alterius, ob merita Elisæ, IV Reg. iv, 5. Panes hos optimos et sapidissimos fuisse, magnaque vi nutriendi, roborandi et exhilarandi præditos, liquet ex eo quod erant panes divini a Christo per miraculum producti: Dei enim perfecta sunt opera. Sic vivit ex aqua in Cana Galilææ conversum fuit optimum, ut patet Joannis ii, 10. Sic Deus, dum singulis rerum speciebus a se initio mundi creatis benedixit, hoc ipso vim generandi, ac se propagandi multiplicandique eis indidit, dicens: « Crescite et multiplicamini, » Gen. i. Sic Christus in ultima cœna instituit Eucharistiam, bene dicens panem, eum in corpus suum transmutavit, Math. xxvi, 26. Atque hujus in Eucharistia transmutationis typus et præambula quasi dispositio fuit hæc panum per Christi benedictionem multiplicatio; nam paulo post eam Christus de Eucharistia sermonem prolixum instituit, quem narrat Joannes, cap. vi, ac Eucharistiam cum manna contulit et prætulit, dicens: « Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt: qui manducavit hunc panem, vivet in æternum, » Joan. vi, 39. Causam dat S. Augustinus, tract. 24 in Joannem: « Unde, ait, multiplicat (Deus) de paucis granis segretis, inde in manibus suis multiplicavit panes: potestas enim erat in manibus Christi. Panes enim illi quinque quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo qui terram fecit multiplicata. » Unde S. Chrysostomus: « Multiplicabantur, ait, in discipulorum manibus quinque illi panes, ac fontis in morem scaturiebant; » dum, ut ait S. Hilarius, « Fragmentis fragmenta succedunt, et fallunt semper perfracta frangentes. » « Frangente enim Domino, seminarium fit ciborum, » ait S. Hieronymus. « Vidisses, inquit S. Ambrosius, incomprehensibili quodam rigatu inter dividendum manus, quas non frangerant, fructificare particulas, et intacta frangentium digitis sponte sua fragmenta subrepre: quemadmodum videmus liquidis fontibus continuos fluere successus, et quidquid de illis auferas, usurario quodam reparari meatu. »

Tropologica: Christus hic suo facto docet panes et opes, tam corporales quam spirituales, in elemosinam egentibus datos non minui, sed multiplicari, imo centuplicari et millecupari. Sic S. Joannes ob liberalitatem cognominatus Eleemosynarius, Patriarcha Alexandrinus, dicebat se quotidiana experientia cære, quod plus daret pauperibus, eo plus a Deo reciperet: unde aiebat: « Videbo, Domine, quis citius deficiat, an tu mihi dando, an ego egenis distribuendo. » Ita Leontius in ejus Vita. Simili modo Sanctulus presbyter multiplicavit panem operariis, ut narrat S. Gregorius, III Dialog. cap. xxxvii. Hadrianus II,

Pontifex, qui Nicolao primo successit anno domini 914, ac octavam Synodum generalem Constantinopolim indixit, in eaque Photium invasorem sedis eiecit, ac S. Ignatium legitimum Patriarcham restituit; hic, inquam, Hadrianus, ait Platina, Sergio Pontifici familiaris fuit, a quo cum aliquando denarios quadraginta dono accepisset, domum rediens, dispensatori mandavit, ut eos peregrinis et pauperibus, qui in vestibulo domus sue stabant, erogaret. Facere ille mandata coactus, cum videret ne minime quidem parti tantularo satisfieri posse, ad Hadrianum rediens, rem ipsam exposuit. Tum Hadrianus accepta pecunia ad pauperes veniens, et ternos denarios singulis præstitit, et totidem sibi rei familiari satisfactorum reservavit, admirante dispensatore miraculum rei. Qui Hadrianus: « Vides, inquit, quam benignus et largus sit Dominus, his præsertim, qui liberales et munifici in pauperes sunt? » Hæc, et aliis virtutibus tanto in pretio apud omnes fuit, ut cum de Pontifice creando sermo haberetur, certam omnes unicum Hadrianum deligerent.

S. Lydwina Hollanda, singulare patientiæ et aritatis speculum, cum esset pauper, studiose tamen egenis succurrebat: quocirca paucos habens in bursa nummos, dum eos liberaliter erogaret, assidue alii cœlitus surrogabantur, ita ut nunquam deficeret, sed crescerent jugiter, ideoque hæc ejus - bursa Jesu » cognominata est. Lege ejus Vitam apud Surium in aprilii. Vide II Corinth., cap. ix, 6 et seq.: « Qui parcos seminat, ait, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus (id est benedictionibus, id est beneficentias multas), de benedictionibus (beneficentias multas) metet. » Est Hebraica syntaxis. Hebræi enim verba contactus, quale est seminare, construunt cum ablativo previa propositione: unde dicunt tangere in manu, id est tangere manum. Quare dum pauperi das panem vel julium, non eum perdis, sed seminas; quia sicut ex uno seminis grano multa succrescunt, sic ex uno pane vel julio multi.

20. ET MANDUCAVERUNT OMNES. — Quinque milia virorum cum mulieribus et parvulis, quorum 17,000, ingens erat numerus; mulieres enim devotæ vi. 42, 43; magis sunt, eque ac magis curiosæ, ut videntur novum Prophetam, qualiserat Christus, quam viri. ET SATURATI SUNT. — Dices, nulla hic vini fit mentio: quomodo ergo saturati sunt, qui nihil biberant? sine potu enim sitibundum et caninum est prandium. Respondeo Christum non dedisse eis vinum, quia vicini erant aquarum fontes, ad quos pro potu accedere poterant. Potus enim aquæ est naturalis et sanus, ac naturæ sufficit. Uterius vero gulam irritare vino Christus noluit. Dat enim cibum Deum ad necessitatem et satietatem, non ad voluptatem et lasciviam. Sic Angelus Elisæ detulit panem, et vas aquæ, non vini in deserto, III Reg. xix, 6. Sic corvus, jussu

Dei, quotidie deferrebat dimidium panem ad S. Paulum primum eremitam, sitim vero ex vicino aquæ fonte enim levare volebat, teste S. Hieronymo in ejus Vita. Idem fecit Deus aliis Sanctis. Imo ab Adamo usque ad diluvium per 1600 annos usque ad Noe, qui primus vitem plantavit, homines religiosiores non comederunt carnes, nec liberunt vinum, sed fructus debebant et bibeant aquam, et tamen vivebant per 900 annos. Abstinencia ergo mater est sanitatis, aquæ ac sapientie et sanctitatis. Vide dicta Irenæi. ix.

ET TULERUNT RELIQUAS DUODECIM COPHINUS FRAGMENTORUM PLENOS. — Ergo retulerunt plus panis, quam initio ad Christum attulerant, nimirum quinque: duodecim enim cophini sive corbes, non quinque, sed triginta et plures panes continebant. Verisimile est Christum, primo quinque panes manibus suis fregisse, et frangendo multiplicasse, ac eos in hos cophinos distribuisse, qui deinde ejus jussu dum ab Apostolis per contubernia in turbas distribuarentur, sensim magis et magis multiplicabantur: quare tot cophinos fragmentorum ad Christum retulerunt, quot cophinos panum primo ab eo acceperunt. Ita Maldonatus. Cedrenus in Compend. Histor. narrat duodecim hos cophinos religiose repositos fuisse in templo duodecim Apostolorum, quod Constantinopoli edificavit Constantinus Magnus.

Porro, Judæis ab olim familiares fuisse cophini: unde Juvenalis:

Judæis, ait, quorum cophinus fœmineque supellex.

Unde liquet cophinum tante capacitatis esse, ut capiat tantum, quantum manus vel brachium viri, v. g. Judæi, portare potest.

21. MANDUCANTUM AUTEM FUIT NUMERUS QUINQUE (Grece οὗτοι πέντε, id est quasi quinque) MILLIA VIRORUM, EXCEPTIS MULIERIBUS ET PARVULIS. — Putant nonnulli mulieres et parvulos exequasse numerum virorum; sed hoc difficile est creditum, quia desertum hoc Christi longe aberat ab urribus et villis frequentioribus, iter autem tam longum facere multis minoribus fuisset difficile. Hanc quinque nullum virorum, per quinque panes a Christo benedictos et multiplicatos, refectionem, ad verbum prædixit Sibylla, cujus versus recitat Lactantius, lib. IV, cap. xv.

22. ET STATIM COMPELIT JESUS DISCIPULOS ASCENDERE IN NAVICULAM, ET PRÆCEDERE EUM TRANS FRETUM (trans mare Galilææ, iterum enim iterumque illud trajiciebat Christus ad fugiendum turbas), DONEC DIMITTATUR TURBAS. — Id fecit Christus: primo, quia volebat scedere, ut solus quietus et instantius oraret, ut patet ex vers. seq.; secundo, ut hac ratione facilius effugeret turbam, quam sciebat ipsum velle facere regem, ob multiplicationem et distributionem panum ab eo factam, uti docet Joannes, vi, 13; tertio, ut sequentis miraculi in sedanda maris tempestate daret occasionem.

23 ET DIMISSA TURBA (ei valeoens et bene precatus, jubensque ad sua redire), ASCENDIT IN MONTES SOLUS ORARE: VESPERE AUTEM FACTO, SOLUS ERAT IBI. — Repetit hoc Mattheus, ut sternat viam ad sequens miraculum, quod scilicet Christus ex monte vicerit et ambulavit super mare, ut discipulis in mari vento jactatis succurreret. Solus orat Christus: primo ut moneat fideles in oratione fugere turbas et strepitus, ac in secreto et silentio mente collecta Deum precari; secundo, ut doceat predicatoribus subinde secedere, ut animum colligant, ac cum Deo agant, petantque ut ea quae predicantur Deus confirmet, ac verbi sui semina, quae ipsi in mentibus auditorum sparserunt, irriget, foveat, promoveat et perficiat; utque novum in eis spiritum indat, quo instructi novo et majori fervore redeant ad predicandum.

24. NAVECULA AUTEM IN MEDIO MARI JACTABATUR (Graece *ἡ ναυκὴλα*, id est vexabatur) FLUCTIBUS; ERAT ENIM CONTRARIUS VENTUS. — Syrus: *Jam recesserat a terra stadiis multis, cum ageretur plurimum.* Arabicus: *Agitabatur eam fluctus.* Sicut contra fluctus constant ibat navis, et validius remigabant nautae, sic contra tentationes fortius eundem est, juxta illud:

Tu, ne cese malis, sed contra audentior ilo.

«Ambulabant, ait S. Augustinus, tract. 23 in Joannem, promovebant Apostoli, nec venti illi, et tempestates, et fluctus, et tenebrae id agebant, ut vel navis non promoveteret, vel soluta mergeret, sed inter omnia illa mala ibat.»

Porro, tempestas cuique est non tantum adversitas, sed nimia prosperitas. Audi S. Augustinum, serm. 13 De Verbis Domini secundum Mattheum: «Unicuique sua cupiditas, tempestas est. Amas Deum, ambulat super mare, sub pedibus tuis est timor saeculi. Amas saeculum, absorbet te; amatorem suos vorare novit, non portare. Sed cum fluctuat cupiditate cor tuum, ut vincas tuam cupiditatem, invoca Christi divinitatem.» Et inferius: «Magnae virtutis est, cum felicitate luctari; magnae felicitatis est, a felicitate non vinci.»

25. QUARTA AUTEM VIGILIA (Graece *ἡ τεταρτή*, id est custodia) NOCTIS, VENIT AD EOS AMBULANS SUPER MARE. — Romani noctu singulis ternis horis matabant excubias, id est vigiles et custodes urbis vel exercitus, tum ne illi ex nimis longa vigilia in somnum incidenter, tum ne fraudi alicui et prodicio, esset locus; et haec vocabantur vigiliae vel custodiae. Quare noctem si brevis erat, n ternas; si longa, in quaternas vigiliis sive custodiae dividebant. Quarta ergo vigilia incipiebat decima noctis hora, et durabat usque ad duodecimam. Porro, haec configerant paulo post multiplicationem panum et pastum turbae, quae facta est circa Pascha, ut patet Joan. vi, 4. Unde colligas hanc tempestatem et hanc ejus sedationem factam a Christo, contigisse circa aequinoctium paschale, sive vernalium, quando nox aequalis

diei est duodecim horarum. Duravit ergo haec maris tempestas per novem horas, scilicet per tres vigilias noctis usque ad quartam, quae Christus venit ad discipulos mari jactatos. «Quarta vigilia noctis ad eos venisse Dominum, ostendit tota nocte periclitatos,» ait S. Chrysostomus: illi ergo continue navigantes tres vigilias, id est per novem horas, vix confecerunt 23 vel 30 stadia (ut ait Joannes vi, 19), id est miliaria Italica circiter tria: nam octo stadia faciunt unum milliari; stadium enim continet 125 passus, milliari vero mille passus. Igitur Apostoli novem horis navigantes vix dimidium maris Galilaeae trajecerant: ejus enim latitudo est sex miliaria, longitudo vero sedecim, teste Plinio, lib. V, cap. xv. Ivo Iosephus, lib. III Belli, cap. xvii, ait illud latum esse 40 stadiis, id est 5 miliaribus, longum vero 100 stadiis, id est miliaribus duodecim cum dimidio. Hoc verum est, si cum Adrichomio, Jansenio et aliis dicas Apostolos totam maris latitudinem transisse. Nam alii verius censent eos illud in longum sulcasse: desertum enim hoc situm erat inter Bethsaidam et Tiberiadem, ex quo versus Bethsaidam et Capharnaum in longum maris hujus navigarent, uti ostendi vers. 13 hujus capituli. Permittit Christus discipulos tot horis tempestate jactari: primo, ut assuescerent pati adversa et dura; secundo, ut opem Dei ardentius flagitarent; tertio, ut saavior et gratior eis accideret procella tam difficilis et longae sedatio, mox faciendae a Christo. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus et alii.

Audi Lactantium, lib. IV De vera Sapientia, cap. xv: «At illi (discipuli Christi) urgente jam vespere profecti contrario vento labore cooperunt, cumque jam medium fretum tenerent, tum pedibus mare ingressus consecutus est eos, tanquam in solido gradiens: non ut poetae Orionem mentiantur in pelago incedentem, qui demersa corporis parte humero sustinet undas.» Profert deinde Sibyllae carmina, quibus illa praedixit Christum ventos et mare furens pacaturum, morbos curaturum et mortuos suscitaturum. Audi S. Hieronymum: «Stationes et vigiliae militares in terna horarum spatia dividuntur. Quando ergo dicit quarta vigilia noctis venisse ad eos Dominum, ostendit tota nocte periclitatos, et extremo noctis, atque in consummatione mundi esse auxilium praebiturum.» Audi et S. Augustinum, serm. 14 De Verbis Domini secundum Mattheum: «Quarta vigilia noctis, extrema pars noctis. Vigilia una tres horas habet, ac per hoc nox quatuor vigilias habet, ternis horis per singulas vigilias distribuit. Quarta ergo vigilia noctis, hoc est, pene jam nocte finita. Sic venit in fine saeculi, iniquitatis nocte transacta, ad iudicandos vivos et mortuos.»

AMBULANS SUPER MARE, — per virtutem divinam quam habebat ut Deus, et per dotem agilitatis quam ad tempus assumpsit ut homo, inquit

Joannes Major hic et eisdem Christus in tempore nativitate assumpsit dotem subtilitatis, penetrando clausum Virginis Matris uterum; ac dotem claritatis in tempore transfigurationis; denique dotem impassibilitatis in jejuniis quadraginta dierum, quae factum est ut nullam famem pateretur aut sentiret.

26. ET VIDENTES EUM SUPER MARE AMBULANTEM, TURBATI SUNT, DICENTES: QUIA PHANTASMA EST. — Syrus, quia visio mendax, id est spectrum est: tum quia talis noctu et in tenebris obambulare, apparere et homines terrere vexareque solent, ut multis exemplis docet Delrio in *Magiis*; tum quia praeter tenebris non agnoscebant ambulantem hunc esse lesum, praesertim quia, ut ait Marcus, vi, 48, «Volebat praeterire eos;» quasi eos non curans, nec ad eos pertinens, sed alio pergens, ut in eis metum et clamorem excitaret, quo exitus se eis cognoscendum daret. Unde sequitur:

ET PRAE TIMORE CLAMAVERUNT. — Confusus fuit hic clamor elicitus a pavore, qualis esse solet navigantium, cum in naufragii periculum incidunt, ut de vita quasi desperent. Duplex erat hic discipulorum timor. Ad metum enim fluctuum maris minantium naviculum obruere, accedebat metus phantasmatum, ne illud novum fidei plane submergeret.

Permisit hoc Christus, ut discipuli discerent metus et tentationes sustinere, etiam dum illi augerent et duplicarent, utque eo saavior eis accederet liberatio et consolatio mox ab eo aferenda, quo major praecesserat desolatio et quasi salutis desperatio; in arctis enim cum res est in acie novaculae, Deus illico ex alto succurrit. Unde sequitur:

27. STATIMQUE JESUS LOCUTUS EST EIS, DICENS: HABETE FIDUCIAM (Graece *ἔχετε πίστιν*, id est animum lapsum resumite, respirate, confidite, animosi et fidentes estote; Syrus, *bono estote animo*; Arabicus, *estote fortes*): EGO SUM (magister vester, quem notis, eujusque beneficentiam et omnipotentiam in tot miraculis a me patris experti estis: qui proinde non vos illud ut phantasma, sed tempestate et metu liberare destino), NOLITE TIMERE. — Graece, *ne timeatis*, vel a spectro, vel a fluctibus. Haec voce Christi tam externa auribus insonante, tum potius interna animis discipulorum ingesta, Christus eis ademit pavorem, ac serenitatem, securitatem et laetitiam indidit, ut plane confiderent se a Christo omni periculo liberandos.

Ex hoc loco discit hoc esse discrimen boni et mali spiritus, quod bonus initio terreat, mox consoletur, serenet et laetificet, uti facit hic Christus: malus vero initio gaudium sensuale ingerat, sed mox macerem, angorem et desperationem immittat.

28. RESPONDENS AUTEM PETRUS DIXIT: DOMINE, SI TU ES (Jesus, magister et Dominus noster),

JUBE ME AD TE VENIRE SUPER AQUAS. — Calvinus S. Petrum temeritatis et stultitiae accensat: «Dubitabat enim Petrus, inquit, an qui appropinquasset esset Christus, an vero spectrum daemonis. Potuisset enim daemon simulans se esse Christum jubere Petro, ut veniret ad se, itaque eum mergere in mari, uti plura spectra fecisse narrat Delrio in *Magiis*.» Respondent Patres et Interpretes in hunc locum dupliciter. Primo, Petrum ex voce, gestu, habitu, et multo magis ex interiore Christi instinctu agnovisse hoc non esse phantasma, sed ipsimum Christum, ut dixi vers. 27; quod ergo ait: «si tu es,» non est vox dubitantis, sed legitima gestientis ulteriusque optatis ad Christum cito venire, ut illi, quem summe amabat, per mare miraculose accedenti, quam proxime jungatur. Ita S. Hilarius: «In Petro, ait, considera fide cum caeteros anteisse.» Et S. Chrysostomus: «Vides quia, ait, quod vehementer Petrus arderet? vides quanta fides ipsius etiam nunc esset? Nemo ita ut ipse Jesum amabat. Non solum charitatem, sed fidem etiam ostendit. Quia enim credebatur non tantummodo Christum super mare ambulare, verum etiam illi posse concedere, ausus est hoc petere, ut cum eo citius esse posset.» Et S. Hieronymus: «Eodem, ait, fidei ardore quo semper, nunc quoque caeteris tantis credit se posse facere per voluntatem magistri, quod ille poterat per naturam. Jube me venire ad te super aquas. Tu praecipit, et illico solidabuntur undae; leve fiet corpus, quod per se grave est.» Vide Abulensem hic, *Quest. CLXVI*, ubi asserit Petrum certo sevisse eum qui ambulabat super mare esse Christum; idcirco eo vocante et jubente audacter mare ingressum, ac cum mergeretur eum fidenter invocasse, dicendo: «Domine, salva me fac.»

Secundo, si omnino velis «si tu es,» esse dubitantis, dicendum per «si tu es,» esse dubitantis, dicendum per «si tu es,» esse jubere venire ad te super aquas,» Petrum postulasse id sibi juberi non simpliciter, sed cum efficacia: ita scilicet, ut Christus non tantum exterius, sed et interiori sibi juberet, ac hac sua jussione inderet animo suo tantam audaciam, fiduciam et securitatem non ut dubitaret, quin Christo jubente securus ambularet super aquas: unde mox eo jubente, juxta navim tentans aquam pedibus, illico sensit eam non cedere, sed se super illam ambulare; quare fides et securus super aquas perrexit ad Christum. Ita Jansenius. Solus enim Deus potest mente illabi, illicque suae praesentiae certa signa dare, licet nobis incognata, nec nisi experientia cognita, quibus animam certam facit se illi interius loqui, non Angelum, vel demonem; qualia habuerunt Prophetae, cum a Deo audirent futura: alioqui enim tam Deum, quam seipsos ludibrio exposuissent, cum enuntiabant aliquid futurum quasi sibi revelatum a Deo, nisi de eo certi fuissent, illud scilicet sibi vere a Deo, non autem a diabolo spectari Dei assumpte esse re-

Indicium an spiritus bonus sit, an malus.

defectus
tur contra
Calvi-
nana.

velatum. Ita hic factum Petro: petit enim ipse a Christo signa secretatis interna æque ac externa, que omnia dubium ab anima excludant, illaque ipse prestavit Christus, dicens: « Veni. » Ex illis ergo certus erat Petrus hanc esse vocem Christi, non alicujus phantasmatis, vel dæmonis. Id magis patebit ex vers. 30.

SI TU ES, JUBE ME AD TE VENIRE SUPER AQUAS. — Festive S. Augustinus, serm. 14 *De Verbis Domini secundum Matth.*, Petrum ita loquentem inducit: « Si tu es, non miror quod solidam carnem super liquidis elementi ferga suspendis. Quid enim mirum, si conditori suo creatura famulatur? Hoc ego non miror; fac quod miror: ambulet Petrus. Fac quod miror: jube me venire ad te super aquas. » etc. Et inferius: « Tu Deus es, ego homo sum. Voluisti de meo habere infirmitatem in carne quam portas; habeam et ego de tuo postestatem, ut unda me portet. Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. Quomodo enim mihi in mari non erit via, si tu jusseris, qui propter nos factus es via? »

29. AT ISE AT: VENI. — Hanc voce Christus certitudinem et securitatem indidit menti Petri, ut jam dixi. Unde sequitur:

ET DESCENDENS PETRUS DE NAVICULA, AMBULABAT SUPER AQUAM, UT VENIRET AD JESUM. — Factum est hoc, modo uno e tribus, scilicet quod Christus vi divina detinere Petrum, ne mergeretur, sicut Angelus capillis definiit Habacuc, rapitque in Babylonem, *Daniel.* 11, 33; aut non concurreret cum gravitate corporis Petri, ut eum gravidaret et sub aquis deprimeret; aut quod non concurreret cum aqua, ut loco cederet, sed ut solida firmaque sub pedibus Petri instar glaciei, vel crystalli consideret. Ita Joannes Major hic.

30. VIDENS VERO VENTUM VALIDUM, TIMUIT, ET CUM COPPISSET MERGI CLAMAVIT, DICENS: DOMINE, SALVUM ME FAC. — Arabicus: *Vidit autem validitatem venti, et timuit, et prope erat ut mergeretur, et exclamavit.* Validitas ergo venti iniecit Petro metum, metus diffidentiam, diffidentia periculum. Quem enim fides vehebat super aquas, diffidentia mersit. Causa fuit modica fides in Petro, ut ei obijcit Christus: timebat enim, ne tanto vento et fluctibus Christo permittente, mergeretur: necdum enim receperat fidei et charitatis robur a Spiritu Sancto quod postea recepit in Pentecoste. Hinc et in passione Christi valido pulsatus tentationis Judæorum vento, cecidit, negativitatem Christum, cujus hæc tentatio fuit typus et quasi preambulum significatio. Ita Theophylactus.

Permisit hoc Christus, ut Petrus suam subreeque fidei infirmitatem agnosceret, seque humiliaret, ejusque augmentum a Christo posceret, fieretque petra fidei, juxta illud: « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, » *Matth.* xvi. Et: « Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma

fratres tuos, » *Luc.* xxii, 32. Ita S. Hieronymus, Theophylactus et alii. Petrus, ait S. Chrysostomus, *hom.* 31, « quod majus erat super maria, scilicet de navigio descendere, magno animo fecit. Vi autem ventorum et impetu fluctuum, quod erat minus, superatus timuit. Natura quippe humana hæc conditio est, ut difficilioribus nunquam superatis, succumbat in minoribus. » Denique S. Augustinus, serm. 14 *De Verbis Domini*: « In Petro, ait, ambulante super aquas, figurantur in fide firmi, in dubitante infirmi. »

DOMINE, SALVUM ME FAC. — Hinc loquitur id quod dixi vers. 28, Petrum non dubitasse, quin is, qui apparebat, esset Christus; « Inquin enim eum in tanto periculo non invocasset, sed Deum, qui est in caelis, uti solent facere naufragi; sed dubitasse tantum, an Christus permitteret ventum sua nature suisque viribus, ut se in fluctibus ambulantiem isidem obrueret, cum tamen ei Christus fidem dedisset, dicendo: « veni, » qua voce eum assecraturat quod non mergeretur: sed validitas venti quatiens latera Petri, hanc ei fidem excussit et diffilavit. Pulchre S. Augustinus, *serm.* 14 jam citato: « Titubatio ista, fratres, quasi mors fidei fuit. Sed ubi exclamavit, fides iterum resurrexit. Non ambularet nisi crederet, sed ne mergeretur, nisi dubitaret. In Petro itaque communis omnium nostrum consideranda conditio est, ut si nos in aliquo tentationum ventus conatur subvertere, vel unda submergere, clamemus ad Christum. »

31. ET CONTINUO JESUS EXTENDENS MANUM, APPREHENDIT EUM, ET AT ILLI: MODICE FIDEI (SYTUS: *O exigua fide prædite*), QUARE DUBITASTI? — Græce, *εἰς τὸ ἰδὲν*, id est in quid animum in duo divisisi? duplicia considerasti, ambiguis inter duo hæsitasti et hæsitasti? Duo enim Petro hic obijcebantur, scilicet validitas venti incutiens illi timorem submersiois, et Christi vox ingerens illi fiduciam et securitatem a submersione; sed validitas venti magis sensibilis, ideoque magis vehemens fuit voce Christi: rapuit enim Petri animum ad se, ut illi uni intentus, nec de promissione Christi cogitans, titubaret metueretque mergi, cum potius debuisset totus auscultare et intendere voci Christi eum assecraturati, itaque resistere tentationi et pavori, quem validitas venti incutiebat; proprie ergo in Petro hic erat defectus fiduciae, sed hic ex defectu fidei oriebatur. Idem contingit cuilibet tentato in quavis tentatione.

Fere enim omnis tentatio oritur ex diffidentia Dei, quod homo fidens sibi, vel humanis auxiliis, Deo diffidat; nec ad eum statim per orationem recurrat. Hinc ergo discat tentatus, ut animum a re, quam tentatio ingerit, avertat, eumque totum convertat ad Deum in eoque defigat, et ejus opem supplex imploret. Pulchre verique S. Chrysostomus: « Sicut si pullus, inquit, cum antequam volare queat, nido exiens in terram decidat, mater velociter raptum in nidum resti-

tuit: sic tunc Christus cum Petro peregit. » Tentatus ergo Christum invocet, sic tentationi resistet eamque superabit. Hinc fides Græce dicitur *πίστις*, quia ipsa est *πιστὶς ἐν ἑσώται*, id est circa id quod est statio et quietis; quoniam ipsa mentem nostram in dubiis sistit, que prius jactabatur et fluctuabat. Ita Clemens Alexandrinus, lib. V *Stromat.*: « Fides enim est substantia rerum sperandarum, *Heb.* xi, 1; vide ibi dicta. Quin et fides Latine sic appellata est, « quod fiat id quod dictum est, » ait Cicero, lib. I *Offic.* Si enim credidisset dicto Christi Petrus, non dubitasset, nec cepisset mergi.

32. ET CUM ASCENDISSET (CHRISTUS ET PETRUS AMBULANTES SUPER MARE) IN NAVICULAM, CESSAVIT VENTUS. — Joannes, vi, 21, ait: « Voluerunt (discipuli navigantes) accipere eum in navim. » Unde S. Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus opinantur Christum id noluisse, sed una cum Petro, ut ejus fidem confirmaret, magno spatio super aquas ambulasse; cum vero prope terram essent, in navim ascendisse. Verius Jansenius et alii: « Voluerunt, » inquit, quia ex voce Christum agnoscentes, et certi non esse phantasma (hoc enim in navim recipere nolissent), « voluerunt, » id est invitarunt Christum in navim; ac Christus voluntati et invitationi eorum obsecundans, cum Petro ingressus est navim. Sicut ergo « voluerunt, » sit et reipsa acceptor felicitis, sed more solito pedetentim navigatoros. Verum Christus in navi presens effectus id, quod subdit immediate Joannes: « Et statim (Christo in navim recepto) navis fuit ad terram, » in quam ibant, puta Bethsaidam, ut ait Marcus, vi, 48, que erat patria Petri. Novum fuit hoc Christi miraculum, quod ex medio mari Galilee, iter trium milliarium subito et quasi in momento confecerint, applicuerintque ad litus Bethsaidæ. Quatuor ergo hic fere Christi miracula. Primum, quod ipse ambulavit super aquas. Secundum, quod Petrum pavidum et incipientem mergi exerxit feceritque secum ambulare. Tertium, quod ingressus navim illico ventum et tempestatem sedavit. Quartum, quod subito navim ex medio mari ad litus transtulerit. Sic mystice Christus sua gratia facit nos calcare altitudinem sæculi, sedat tentationes, dat portum felicitatis æternæ.

Topologice Theophylactus: « Si Christum in navicula nostra, id est in corde susceperimus, ait, statim inveniemur in terra, ad quam ire volumus, id est in celo. »

33. QUI AUTEM IN NAVICULA ERANT (DISCIPULI CUM NAUTIS OBSTUPEFACI TOTI CHRISTI MIRACULO), VENERUNT ET ADORAVERUNT EUM, DICENTES: VERE FILIUS DEI ES. — Arabicus: *Tu es in veritate Filius Dei.* Opinantur Cæcilianus et Jansenius, turbam nautarum rudem non agnovisse mysterium Trinitatis, ac proinde ipsos Jesum vocare Filium Dei, non per naturam, sed per virtutis et dignitatis excel-

lentiam, q. d. Credimus te esse Messiam, quem scimus vocari Dei Filium, ob singularem ejus dignitatem et charitatem, qua proe aliis eximie Deum amavit ut patrem, et vicissim ab eo amabatur ut filium. Verum ut demus nautas sic intellexisse, certe Apostoli, qui erant vectores in navi, quique cum Christo jam diu vixerant, ex tot ejus sermonibus et miraculis cognabant ipsum esse Filium Dei naturalem et scièntiam, ait Abulensis, in eoque ac in illa fide confirmati per novum hoc sedate tempestatis miraculum, exclamaverunt: « Vere Filius Dei es, » scilicet per naturam.

Allegorice et tropologice: S. Augustinus, serm. 14 *De Verbis Domini secundum Matth.*: « Naviculam, ait, Ecclesiam (et animam fidelem) cogitate; mare, hoc sæculum; ventum et fluctus, persecutiones: quia insurgunt fluctus, potest ipsa navicula turbari; sed quia Christus erat, non potest mergi; sed in his tentationibus erigatur antenna, ut suspensa arbori crucem figuret; hinc antennæ, id est cruci Christi, simplex conversatio et pura confessio, quasi candentia vela religantur, et vela nostra fluctibus abluantur, vestisque tendatur, ut sine macula et ruga inveniat. » Unde tandem concludit: « Denique posteaquam navis hæc edificata est in Jerusalem, atque in medio pelagi hujus fremens emissa est, estuantium volumina undarum, et furentium flabra ventorum, dum eam hinc illic circumferunt, omnium gentium littoribus appulerunt, peregrinas merces quas-cumque invenit, advexit. » Hucusque S. Augustinus ad verbum, sed verbis nonnullis brevitalis studio omissis.

34. ET CUM TRANSFRETASSENT, VENERUNT IN TERRAM GENESAR. — Marcus, « in terram Genesareth. » S. Chrysostomus et Lyranus opinantur hanc esse terram Gerasenorum, cujus incolæ Christum, cum submersos ab eo in lacu porcos, a se ablegarunt, *Matth.* viii, in fine, quasi illi jam fama miraculorum Christi pererebrosente resipuerint, Christumque avidè exeperint, ideoque Christus id sciens, ad eos quasi ad messem jam Evangelio maturam redierit. Verum aliud est Gerasa, de quo Matthæus, vii, aliud Genesar, de quo hic: Gerasa enim, sive Gergesa erat trans mare Galilee versus Arabiam; Genesareth autem erat eis mare juxta Capharnaum et Bethsaidam; Christus enim eum in deserto Bethsaidæ quinque panibus pavisset quinque hominum millia, qui ideoque ipsum regem creare volebant, Christus, inquam, eos fugiens jussit discipulos transfretare, et in citeriore sinus sive montis Bethsaidæ, ut dixi vers. 13, ripam, ubi erat *βέρα* Genesareth, puta Bethsaidam et Capharnaum, redire. Hinc Marcus ait, cap. vi: « Coegit discipulos ascendere navim, ut precederent eum trans fratrum ad Bethsaidam. » Cum enim Bethsaidam in regione Genesar esset, qui versus Bethsaidam navigabant, in terram Genesar navigabant. Joannes, cap. vi, ai-
lis-

cupulos etiam venisse Capharnaum, quæ civitas in eadem erat ripa. Itaque omnia recte consentiunt. Nomen Genesareth significat vallem floridam. Prius dicebatur urbs hæc, indeque tota vicina regio, Cenereth vel Ceneroth: inde molli inflexione dicta est Genesar et Genesareth, a qua lacus, sive mare Galilææ illi adjacens, dictum est mare Cenereth, sive stagnum Genesareth. Nam Chaldaeus pro Cenereth, vertit Genesar. Ita Andreas Masius, in *Josue* XIX, 33. Audi Josephum, lib. III *De Bello*, cap. XVIII: « Ad lacum Genesar ejusdem nominis terra profenditur, natura simul et pulchritudine admirabilis. Præter aeris lenitatem fonte irrigatur uberrimo, qui Capharnaum ab indigenis appellatur. Longitudo autem regionis secundum littora cognominis lacus, triginta stadiis extenditur et latitudo viginti. » Adrichomius censet, et S. Hieronymus in *Locis Hebr.* innuit, Cenereth, sive Genesareth esse urbem Tiberiadem, sed repugnat Chaldaeus, Franciscus Lucas et alii. Adde Tiberiadem longe abesse a Capharnaum et Bethsaida. Denique Cenereth erat in tribu Nephthali, ut patet *Josue* XIX, 33; Tiberias autem in tribu Zabulon. Denique Cenereth sita erat juxta Capharnaum, ut dixi vers. 13.

35. ET CUM COGNOVISSENT EUM VIRI LOCI ILLIUS, MISERUNT IN UNIVERSAM REGIONEM ILLAM, ET OB-TULERUNT EI OMNES MALE HABENTES, ET ROGABANT EUM, UT VEL FIBRIAM VESTIMENTI EJUS TANGERENT. ET QUICUMQUE TETERUNT, SALVI FACTI SUNT. — Græce, *ἰσαόρατοι*, id est servati sunt; Syrus, *sanati sunt*. Significat amplitudinem fidei infirmorum, æque ac beneficii et miraculi Christi:

facile enim erat cuilibet, Christum se offerentem tangere, ejus autem tactus sanabat omnes tangentes. Pro *fibriam*, Syrus vertit *alam*, id est, ut Arabicus, *extremiorem vestimenti*. Caro enim Christi adeo est efficax et salutaris, ut et vesti qua tegitur, suam virtutem communicet. Hinc colligit S. Chrysostomus: « Si illi, qui fibriam Christi tetigerunt, sanati sunt, quanto magis qui totum Christum tangunt, imo manducant in Eucharistia! quæ enim theriaca efficacior carne et deitate Christi? » Narrat S. Gregorius Nazianzenus, orat. 11, Gorgoniam sororem suam, tacta Eucharistia a gravissimo et incurabili morbo fuisse curatam.

Denique Christus occasione miraculi multiplicationis panum, quibus aluit quinque hominum millia, subtexit sermonem illum sublimem de pane spiritali et eucharistico, quem fuisse narrat S. Joannes, cap. vi.

Atque hic finiuntur acta Christi, a secundo Paschate usque ad tertium, id est acta secundi anni prædicationis Christi, ut colligitur ex *Joannis* VI, vers. 1, ubi ait hæc conficisse circa Pascha. Erat enim hoc tertium Pascha Christi jam prædicantis. Primum enim ejus Pascha recensit Joannes, cap. II, vers. 13; secundum autem, cap. V, vers. 1; tertium denique, cap. VI, vers. 1 jam citato. Superest ergo annus tertius et ultimus prædicationis Christi, scilicet acta ejusdem a tertio Paschate usque ad quartum, quo passus et crucifixus est, ut patet *Joan.* XIII, 1; *Matth.* XXVI, 1; *Luc.* XXII, 1: quæ enarrat Mattheus a cap. XV usque ad finem sui Evangelii.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Christus reprobat lotiones et alias traditiones frivolas Phariseorum, quas ipsi legi Dei anteponebant, ac contra eos statuit hoc axioma: « Non quod intrat in os, sed quod procedit de corde et ore, hoc coinquinat hominem. » Secundo, vers. 22, obsecrante Chananea ejus filiam sanat, ob matris fidem et obsecrandi constantiam. Tertio, vers. 30, sanat multos mutos, cæcos et claudos; ac vers. 32, septem panibus cibatur quatuor hominum millia.

1. Tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribæ et Pharisei, dicentes: 2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas cum panem manducant. 3. Ipse autem respondens, ait illis: Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: 4. Honora patrem et matrem. Et: Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. 5. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri, munus quodcumque est ex me, tibi proderit; 6. et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam; et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. 7. Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: 8. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. 9. Sine causa autem colunt me, docentes doc-

trinas et mandata hominum. 10. Et convocatis ad se turbis, dixit eis: Audite et intelligite. 11. Non quod intrat in os coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. 12. Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei: Scis quia Pharisei, audito verbo hoc, scandalizati sunt? 13. At ille respondens, ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, radicabitur. 14. Sinite illos: cæci sunt, et duces cæcorum, cæcus autem si cæco ducatur præstet,ambo in foveam cadunt. 15. Respondens autem Petrus, dixit ei: Edisere nobis parabolam istam. 16. At ille dixit: Adhuc et vos sine intellectu estis? 17. Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur? 18. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem; 19. de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemæ. 20. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem. 21. Et egressus inde Jesus, secessit in partibus Tyri et Sidonis. 22. Et ecce mulier Chananea a finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei, Domine, fili David: filia mea male a dæmonio vexatur. 23. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. 24. Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. 25. At illa venit, et adoravit eum, dicens: Domine, adjuva me. 26. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. 27. At illa dixit: Etiam, Domine: nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. 28. Tunc respondens Jesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora. 29. Et cum transisset inde Jesus, venit secus mare Galilææ; et ascendens in montem, sedebat ibi. 30. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles et alios multos; et projecerunt eos ad pedes ejus, et curavit eos: 31. ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes; et magnificabant Deum Israel. 32. Jesus autem, convocatis discipulis suis, dixit: Miserere turbæ, quia triduo jam perseverant hæcibus, et non habent quod manducent; et dimittite eos jejunos nolo, ne deficiant in via. 33. Et dicitur ei discipuli: Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam? 34. Et ait illis Jesus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, et paucos pisciculos. 35. Et præcepit turbæ, ut discumberent super terram. 36. Et accipiens septem panes et pisces, et gratias agens, fregit, et dedit discipulis suis, et discipuli dederunt populo. 37. Et comederunt omnes, et saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. 38. Erant autem qui manducaverunt quatuor millia hominum, extra parvulos et mulieres. 39. Et dimissa turba, ascendit in naviculam, et venit in fines Magedan.

1. TUNC ACCESSERUNT AD EUM AB HIEROSOLYMIS SCRIBÆ ET PHARISEI, DICENTES. — Nota primo Mosem in lege veteri jussu Dei sanxisse, ut Judei abstinerent a contactu morticini (cadaveris mortui) avium rapacium et immundarum; item leprosi, menstruati ac multarum rerum similium; ac si quis ea casu tetigisset, censeretur immundus et irregularis, ita ut non liceret illi ingredi templum, nisi prius lotione lege præscripta, hæc legalem immunditiam et irregularitatem purgando expiasset, ut per lotiones hæc corporales adhiberetur, et excitaretur crassos Judæos ad lotiones spirituales animæ faciendas per contritionem et penitentiam. Vide dicta *Levit.* XI, 31. Judei ergo, et præsertim Pharisei, qui volebant ceteris haberi religiosiores, totam suam sanctitatem in constituentes

2. QUARE DISCIPULI TUI TRANSGREDIUNTUR TRADITIONEM SENIORUM? NON ENIM LAVANT MANUS SUAS CUM PANIBUS (panis per synecdochen Hebræis omnem